



**Ruperti Abbatis Tuitiensis, Summi Disertissimi  
Theologi, sacris dumtaxat literis omnia probantis, in XII.  
prophetas minores, Commentariorum Libri XXXII**

**Rupert <von Deutz>**

**[Köln], M. D. XXVII.**

**VD16 B 3835**

Cap. V. Nunc vastaberis filia latronis. Obsidione posuerunt super nos, in virga percutient maxilla iudicis Israel.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71859)



dicunt: Aspiciat in Sion oculus noster. Quo dicto uehemēs innuitur odiū & inuidia, quæ non leuiter exaturari possit, nisi multarū aspectu miseriarū. Quo cū potiti fuerint, maligno risu soluuntur, & crudeli plausu tripudiant, dilatātes os suum sicut scriptū est atq; dicentes: Euge euge uiderunt oculi nostri, subauditur mala huius quæ desiderauim⁹, & hoc bene cōtigit nobis. Ipsi autem, inquit, non cognouerunt cogitationes domini, & non intellexerunt cōsiliū eius, quia congregauit eos quasi scœnum areæ. Et est sensus. Cōgregatæ sunt gentes super te, & in sua gloriantes multitudine, præsentia tantū & manifesta potuerūt uidere, scilicet et tuā calamitatem, & suam in hoc mundo prosperitatem, sed hoc nō cognouerunt neq; intellexerūt, quid in futurum dominus cogitauerit, et quale super te et super illos cōsiliū inierit. Sed ecce consiliū, & cogitationes eius dico tibi, quia congregauit eos quasi scœnū areæ, subauditur, ut cōgregatis illis dicat tibi. Surge et tritura filia Sion, quia cornu tuū ponam ferreū, & unguas tuas ponam æreas, et cōminues populos multos, et interficies domino rapinas eorū, et fortitudinē domino deo uniuersæ terræ. Et est sensus: Quāuis fortes et robustos esse arbitretur, nimirū cū sint caro, sic sūt quasi scœnū, quia omnis caro ut scœnū, et omnis gloria eius tanquā flos agri. Et uere scœnū est populus. Itaq; sicut scœnum in agro ad tempus uiuet, & in tempore suo aridū deportatur ad aream, ibiq; ferris dentatis siue plaustris ferreis tritatur, ac tritico recondito, stipula & paleæ proiectæ igni traduntur, sic tu ò Syon omnes gentes quæ congregatæ sunt, super te superbientes atq; luxuriantes, uelut uiridescenum in iudicium domini tritabis atq; cōminues, ita dūtaxat, ut quicumq; ex illis sese in humilitate deposuerint, eos tanquam triticū domino uniuersæ terræ consecres, in terficiendo quicquid in eis uiciosum erat, quicūq; autē pertinaci superbie uento sese subleuauerint, eos uelut stipulam & paleam perpetuo igni trades. Neq; em̄ resistere tibi poterūt cornu ferreū, & æreas unguas habenti, qđ uidelicet cornu tuus insuperabilis rex & magnificus triumphator Christus est, quæ unguæ tuæ Apostoli de tua carne geniti sunt, fide solidi, uerbo tinnuli uelut æs, qđ metallū ualde sonorū est. Nam in omnē terrā exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum, & nō sunt loquelæ neq; sermones, quorū non audiantur uoces eorū. Hactenus ad illam quæ uera est Syon & uera Hierusalem sermo est sic incipiens, & tu turris gregis nebulosa filia Syon. ¶ Nā de illa Hierusalē terrena quæ occidit prophetas, & lapidauit eos qui ad se missi fuerūt, audi quid dicatur. **Nūc uastaberis filia latronis.** Obsidionē posuerūt super nos, in uirga percutient maxillā iudicis Israhel. **Cuius uel quātū iudicis?** Nimirū eius qui & magnus deus est, & humilis apparuit, quod multū caute sicut eo tempore opus erat, sequētib; uerbis prædicatur. **Et tu Bethleem Effrata, paruulus es in milibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israhel, & regressus eius ab initio a diebus eternitatis.** Propter hoc dabit eos usq; ad tempus in quo parturiens pariet, reliquie fratrum eius conuertentur ad filios Israhel. **Sicut iam dictū est ad illam, & de illa Hierusalē quæ prophetas occidit, sermo est. Nunc (inquit) uastaberis ò tu non uere filia Syon, sed uere filia latronis, uidelicet quæ uirū homicidā & latronē Barraban tibi dimitti petisti, auctore uere uitæ interfecisti. Nūc inquā uastaberis, nūc circumdabūt te inimici tui uallo, & circumdabūt te & coangustabūt te undiq;, & ad terrā prosternēt te, & filios tuos qui in te sunt. Quam ob causam sic uastaberis, & cur prosternētur filij tui? Obsidionē (inquit) posuerūt sup nos, in uirga percutient maxillā iudicis Israhel. Super nos prophetas & sapientes & scribas obsidionē posuerūt, id est, ex nobis occiderūt & crucifixerūt, et ex nobis flagellauerūt in synagogis suis, et de ciuitate in ciuitatē persecuti sunt. Nam hoc totū fuit obsidionē ponere super nos, quæ sic uoluerunt claudere ora nostra, ne doceremus in nomine iudicis Israhel, cuius maxillā in uirga percusserūt, in uirga, inquā id est, in arūdine qua percutiebāt eum spinis coronatū, sibi in potestate concessa quæ admodum ait, sed hæc est hora uestra et potestas tenebrarum. Per partē totā, id est per maxillæ percussionē, totam eius significabat passionē. Pulchre nimirum, quia passionis eius hoc fuit initū, quod unus assistens ministrorū, dedit illi alapam dicens: Sic respondes pontifici: Proterua crudelitas, crudelis proterua licitoris & scurre, qui dum adulatur dño suo pōtifici, & ei placere uult, assiliens coram pcutit in maxillā iudicem Israhel, nec solius Israhel, sed et omnium hominū, quia ipse est qui cōstitutus est à deo iudex uirorū et**

Psal. 34.

Esa. 40.

Chrūs ut cornu ferreū, Apostoli, ut unguæ æræ.

Hierl'm terrena, dicitur filia latronis

CAP. V.

Mat. 28. Luca. 19

Matt. 23.

Iohan. 8.





Actu. 7. uorū & mortuorū. Et ut amplius perhorrescas temeritatē nebulonis, qui pccauit, ille iudex non tantū homo, sed & deus est. Hoc em̄ uerbis sequētibus testatur: Et tu Bethleem effra-  
 ta, paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Iſrahel, & egres-  
 sus eius ab initio à diebus æternitatis. Quid em̄ est qđ & egredietur ex te ð Bethleem, & mi-  
 hilominus egressus eius ab initio, à diebus æternitatis, nisi qđ duæ sunt eius egressiões. Iam  
 tiuitates, altera secundum carnē, qua egredietur ex te ð Bethleem ex semine Dauid, altera  
 secundū diuinitatē, qua non egredietur, sed egressus eius, inquit, iam dudū exactus est, nō  
 ex mundo, sed ab initio, non in diebus temporalitatis, sed à diebus æternitatis? Nā in primo  
 principio erat uerbū, & uerbū erat, apud deū, & deus erat uerbum: hoc erat in principio apud  
 deum. Igitur & deum & hominē testatur hic esse illum iudicem Iſrahel, sed hoc taliter edis-  
 ci ut uulgo intelligeret ut tunc tēporis nō expediret. Quomodo em̄ audire poteretur, qđ  
 qui deus Iſrahel erat homo futurus, & in maxilla percutiendus esset? Cauter ergo & prudē-  
 ter propheticus sermo dispensatur, dum à facie filiæ Iatronicis, cui loquebatur dicens, nunc  
 uastaberis filia Iatronicis &c. sese repente auertit, & ad aliam, id est, Bethleem sese conuertit  
 & eidem sic loquitur, ut & ueritatē utriusq; naturæ, scilicet diuinæ & humanæ in Christo  
 testificetur, & eandem testificationem, talibus uerbis enunciet, ut non ab illis qui surdi sunt  
 uel erant, & aures audiendi non habebant, tunc temporis facile percipere tur. ¶ Quod autē  
 Bethleem & Effrata unius eiusdemq; ciuitatis Dauid, siue castelli, ubi erat Dauid, uocabatur  
 la sint, habemus ex scriptura dicente: Mortua est ergo Rachel, & sepulta in uia, quæ ducit  
 Effratam, hæc est Bethleem. Porro cum dicit: Et tu Bethleem Effrata, paruula es in millibus  
 Iuda, subaudiendum est apud homines, quorum in oculis uix paruus uiculus es, qui nō  
 coelestem, sed terrenā quantitātē attendunt, sed profecto apud deum non minima es. Alio-  
 quin nisi cum eadem affirmatione qua dicit paruula es, et ex opposito ista negatio in pro-  
 phetæ sensu intelligatur, sed non apud deum minima es, tanquam si dicat: Paruula siue mi-  
 nima uideris, sed non minima es, dissonatē testimoniū hic in Euangelio sumptū uidebitur,  
 ubi principes sacerdotum & scribæ sciscitanti Herodi, sic respōdit ille narrantur. Et tu Beth-  
 leem terra Iuda, nequaquam minima es, perspicue litera dissonat, sed in sensu clara consonan-  
 tia est, ut cū propheta dicit: paruula es, subaudias in oculis omnium hominū, & cū Euangeli-  
 stas dicit: nequaquam minima es, subintelligas apud deū. ¶ Quod deinde subiūgitur, propter  
 hoc dabit eos usq; ad tempus in quo parturiens pariet, & reliquiæ fratru eius conuertentur  
 ad filios Iſrahel, manifeste completū, atq; adhuc complendū est. Nā quia tantū iudicis Iſra-  
 hel maxillam percusserunt, qui secundū carnē de Bethleem ex semine Dauid egressus est,  
 & cuius egressus secundū diuinitatē, à diebus æternitatis est, ic circo de dit eos idē iudex sub-  
 auditur, in manus gladij, & in captiuitatē in omnes gentes, & in partes uulpiū, id est, magis  
 norū spiritūū. Vsq; quo sic dabit eos? Vsq; ad tempus (inquit) in quo parturiens pariet  
 Parturiens dicitur, non ista filia Iatronicis, id est, terrena Hierusalem, quæ deo sterilis est, sed  
 illa spiritualis Hierusalem, siue Syon, cui supra dixerat: dole & satage filia Syon quasi par-  
 turies. Illa nāq; mater pariet, subauditur Iudeorū, siue Iſrahelis reliquiæ iuxta illud. Si uer-  
 rit nūerus filiorū Iſrahel quasi arena maris, reliquiæ cōuertentur ex eis. Nā hoc est, qđ hic pro-  
 pheta subiūgit, Reliquiæ fratru eius cōuertentur ad filios Iſrahel. Cuius eius? Nimirū ipsius  
 iudicis Iſrahel, qđ fratres eius secundū carnē ipsi Iudæi sunt, qui maxillā eius percusserunt. Et  
 pus quo istud fiat tunc erit, cū plenitudo gentiū intrauerit. Sequitur: **Et stabit & pascet**  
 in fortitudine dñi, in sublimitate nominis dñi dei sui, & cōuertentur, quia tunc magis  
 nificabitur usq; ad terminos orbis terræ. Iudex Iſrahel sicut iam dictum est propter  
 hoc dabit eos, qđ percusserunt maxillā eius, et ipse surgens à mortuis stabit, subauditur à  
 xtris dei fortis & sublimis, iuxta quod in Actibus apostolorū scriptū est: Cū autē esset  
 phanus plenus spiritu sancto intendens in cœlū, uidit gloriā dei, & Iesum stātem à dextera  
 dei & ait: Ecce uideo cælos apertos, & filium hominis stātem à dextera uirtutis dei. Sta-  
 bit ergo, id est, pro suis morientibus pugnabit ipse uictor mortis, & pascet, subauditur pro  
 pulum suum, utpote diues & præpotens rex in fortitudine domini, in sublimitate nominis  
 dñi dei sui, id est, sicut fortis deus hñs nomen sublime, quod est sup omne nomen, quale no-

Duplex Christi egressus.

Iohan. 1

Bethleem & Effrata, unius us oppidi uocabula. Gene. 35

Matt. 2.

Psal. 62

Esa. 10.

Actu. 7.



quale nomen habet pater, qui propter assumptam humanitatem dicitur & est dominus deus eius. Nam & ipse loquitur: Ascendo ad patrem meum & patrem uestrum, deum meum, & deum uestrum. Et conuertentur ait, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terrae. Hoc ipsum quod hic dicitur & pascet, & conuertentur, &c. manifestius in psalmo expressum habemus. Ait enim: Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt dominum, qui requirunt eum, uiuent corda eorum in seculum seculi. Reminiscuntur & conuertentur ad dominum uniuersi fines terrae. Pascet ergo scilicet terminos terrae, quo ad usque magnificabitur, non qualicumque edulio, sed corporis & sanguinis sui sacramento, quod edentes & bibentes, pauperes saturabuntur, nam corda eorum, id est, animae uiuent in seculum seculi, quemadmodum ipse dicit: Si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in aeternum, & panis quem ego dabo, caro mea est promundi uita. Sequitur. **Et erit iste pax Assyrius cum uenerit in terram nostram, & quando calcauerit in domibus nostris.** In nonnullis codicibus legitur Assyrius, & ordinatio litera uidetur. Si enim legendum est Assyrius, cur praepostere & dicere maluit Assyrius cum uenerit, quam dicere cum Assyrius uenerit? Itaque secundum utraque littera exponendum est, & primum secundum hanc litteraturam, & erit iste pax, Assyrius cum uenerit in terram nostram. Quando uenerit diabolus, ait beatus Hieronymus, qui dicitur Assur super terram regionemque creditum, & eorum quos pascet dominus in fortitudine & in sublimitate nominis domini dei sui, & calcauerit eos tribulationibus uariis, & domos animarum nostrarum, id est, corpora quasi superbiter ascenderit atque depresserit, & tamen nos nihil separauerit a charitate Christi, tunc Christi pax, siue ipse Christus erit in nobis, & dicitur de sancto, nihil proficiet inimicus in eo. ¶ Nunc ut secundum aliam litteram struatur dicamus, scilicet ita legendum, & erit iste pax Assyrius, cum uenerit in terram nostram, primo sciendum, quia quod dicitur, cum uenerit in terram nostram, & quando calcauerit in domibus nostris, siue, ut rursus post pauca habemus, & cum calcauerit in monte nostro, recte de ipso domino intelligitur, praesertim cum in exordio sermonis hic idem propheta dixerit. Quia ecce dominus egredietur de loco suo, & descendet & calcabit super excelsa terrae, & cetera usque ad id quod ait: Quae excelsa Iudae, nonne Hierusalem? Eritque hic sensus. Et erit iste, uide licet dominus magnificus usque ad terminos terrae, pax Assyrius, id est, cunctis gentibus, quarum eo tempore potentissimi erant Assyrii, unde & pro cunctis gentibus recte possunt hic accipi. Erit inquam iste pax Assyrius, id est, loquetur pacem gentibus, euangelizabit pacem eis, qui prius erant inimici, cum uenerit in terram nostram, id est, cum nos uisitauerit, & cum calcauerit in domibus nostris, subauditur, eo quod non cognouisti tempus uisitationis tuae, de supra dicta filia latronis, Nam idcirco calcabit in domibus nostris, idcirco coculcabit templum & ciuitatem, ita ut non remaneat lapis super lapidem. Nam quod dominus calcet & coculcet, testatur ipse dicens in alio propheta. Calcaui eos in furore meo, & coculcaui eos in ira mea. Vae ergo tibi, quae tibi Barrabam latronem donari petisti, & proinde recte diceris filia latronis, & cuius seditiones haereditate possedisti, uae tibi, quia tu coculcaris quae diceris Israel, pax autem tua Assyrius, id est, gentibus poenitentiam agentibus, sicut significatum est, ubi ad praedicationem Iona Niniue magna ciuitas Assyriorum poenitentiam egit. Sequitur. **Et suscitabimus super eum septem pastores, & octo primates homines, & pascent terram Assur in gladio, & terram Memroth in lanceis eius, & liberabit ab Assur, cum uenerit in terram nostram, & cum calcauerit in monte nostro.** Quos in persona supra dixerat, obsidione posuerat super nos, eorum uox ista est, & suscitabimus super eum septem pastores et octo primates homines, uox scilicet prophetarum, sapientum, & scribarum, quos ecce ego mitto ad uos, ait ille iudex Israel ad eos, quae maxilla ipsius percusserunt. Ipsi loquuntur etiam haec, & suscitabimus super eum septem pastores & octo primates homines. Super quos dicunt, suscitabimus eum. Nimirum super eundem saepe dictum iudicem Israel. Profecto non uile obsequium, non paruam honorificentiam portionem de studio suo promittunt, ad clarificandum illum tantum iudicem, quem filij illius filiae latronis sic inhonorauerunt, ut maxilla eius percuteret. ¶ Quare dicitur est diligenter, quia sunt septem pastores & octo primates homines, & deinde quid sit suscitari illos super hunc iudicem Israel, & tunc patebit, quod non leuis aut incerta haec pollicitatio est. Septem fide claros et meritis insignes de sanctis scripturis nouimus, similiter & octo primates homines, quos licet haec uenimus nouerimus, necdum tamen numerum, & proprias eorum causas animus adeo perpenderit, priusquam loci praesentis diligenter

Iohan. 20

Psal. 21

Iohan. 8.

Assyrius, id est, diabolus.

Psal. 88. Pax Assyrius, id est, cunctis gentibus.

Sup. 1.

Luc. 19

Esa. 63.

Iona. 3.

Septem pastores & octo primates homines.



- Septem diligētia nos excitasset, Primū ergo septē pastores, deinde per ordinē recolamus octo pri-  
 mates homines. Primus pastor fuit Abel, de quo scriptū est. Fuit autē Abel pastor ouium, & respexit domi-  
 obrulit domino munera de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorū, & respexit domi-  
 nus ad Abel & ad munera eius: Secundus pastor fuit Abraham: Tertius Isaac: Quartus Iacob, qui stans corā Pharaone cū filijs suis, interrogāte illo, qd habetis operis, pastores ouium  
 sumus (inquit) serui tui, & nos & patres nostri. Erant autē patres eius Abraham & Isaac, qui  
 profectō curā habuerūt alendorū gregū, ita ut non posse eos capere terrarū multitudinē  
 gregum, unde & facta est rixa inter pastores gregū Abraham & Loth, et fuit iurgū pastorū  
 Gerare aduersus pastores Isaac. Veruntamen non pro multitudine uel cura gregū, sed pro  
 eo qd circa res horum pastorales, diuina sese cōmendauit autoritas, septē istos pastores ex-  
 cellētissimos numeramus. Igitur (ut dicere iam cōcepimus) horū primus fuit Abel, qui de  
 primogenitis gregum domino munera obtulit, quæ suo respectu dominus digna duxit. Se-  
 cūdus Abraham, qui de armento suo uitalum tenerrimū tollens et optimum in clytis hospiti-  
 tibus scilicet tribus angelis, uenientibus in figura sanctæ trinitatis, memorabile comitū  
 cit. Tertius Isaac, qui uelut aries ad immolandū ductus est, et pro quo arietē Abraham  
 ter uepres hærentē cornibus, holocaustum obtulit. Quartus Iacob, qui de grege duos arietes  
 rens hœdos in cibū patri benedictionē accepit, et deinde soceri greges pascēs, auctus est  
 benedictione domini. Quintus fuit Ioseph, qui cū sedecim esset annorū, pascebat gregē cum  
 fratribus suis, & inde uenditus fuerat, factusq; princeps Aegypti, professione istā non er-  
 buit, quamuis detestaretur Aegypti oēs pastores ouium, dicens ad patrē & ad fratres suos,  
 Cum uocauerit uos Pharaon, & dixerit, quod opus est uestrū: respōdebitis. Vii pastores su-  
 mus serui tui ab infantia nostra usq; in præsens, & nos & patres nostri. Sextus fuit Moyses,  
 Exod. 3. qui pascebat oues Ietro soceri sui sacerdotis Madian, & inter pascendū, cū ministris gregē  
 ad interiora deserti, uenit ad montē dei Oreb, apparuitq; ei dominus in flamma ignis de  
 dauid. Septimus fuit Dauid, qui de semetipso proloquēs ad Saul, pascebat (inquit) serua-  
 tus diuina commēdauit. ¶ Porro octo primates homines hi sunt: Primus Iosue filius Nun  
 Secundus Caleph filius Iephone: Tertius Othoniel filius Canez: Quartus Aoth filius Ga-  
 ra filij gemini: Quintus Barach filius Abinoem de Cades Nepralim: Sextus Gedeon  
 ptimus lepte Galaadites: Octauus Samson: Isti octo iccirco dici merentur primates homi-  
 nes, quia autoritate diuina præeunte, & inducēte illos spiritu domini, constituti iudices Ise-  
 rauerunt populum suū, unde & meruerunt appellari saluatores Israel. Primus horū Iosue  
 Nu. 27. & secundus Caleph, introduxerunt populū in terram promissionis, dicēte domino ad Mo-  
 sen: Tolle Iosue filiū Nun, uirū in quo est spiritus domini, & pone manum tuam super eū,  
 Caleph. & c. De Caleph uero ait: Seruū meū Caleph, qui plenus alio spiritu, secutus est me, inducā  
 Ibi. 34. in terram hanc quā circuiuit, & semen eius possidebit eā. Primatum eius hoc diuinū testi-  
 monium commēdat, & præter hoc alia quæ præfenti loco inserere longū est. Tertius O-  
 thoniel filius Canez liberauit Israel de manu Cusamrasathaim regis Mesopotamiz, qui  
 Iud. 3. seruiert octo annis scriptura dicente: Et clamauerūt ad dominū, qui suscitauit eis saluato-  
 rem, & liberauit eos Othoniel, uidelicet filius Canez, fuitq; in eo spiritus domini, & libera-  
 uit Israel, & c. Quartus Aoth liberauit Israel de manu Eglon regis Moab, cui seruiert  
 Ibi. 18. decē et octo annis, scriptura dicente, Et clamauerunt filij Israel ad dominū, et suscitauit  
 saluatorē Aoth filiū Gera, & c. Quintus Barach filius Abinoem liberauit Israel de manu  
 Barach. Iabin regis Canaan, qui p uiginti annos uehemēter opprēsserat eos, et ipse autoritate di-  
 Ibi. 4. na suscitatus p Deborah propheten uxore Lapidoth, Sextus Gedeon liberauit Israel  
 Gedeon. manu Madian cui seruiert septē annis, p cipiēte angelo, q apparuit ei. Septim⁹ Iepthe  
 Ibi. 6. 7. laadites liberauit Israel de manu filiorū Ammon, q cū Philistim uehemēter opprēsserat  
 Ibi. 11. eos p annos decē et octo. De isto scriptū est: Factus est sup Iepthe spūs domini transiē  
 ad filios



ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos. Quos tradidit dominus in manus eius, percussitque eos  
 placam magis nimis, humilitatisque sunt filii Ammon à filiis Israel. Octavus Samson per an-  
 gelum domini prænunciatus est matri sterili: et hic erit (inquit) Nazareus ab infantia sua, et ex  
 matris utero, et ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum. Isti sunt octo primates  
 homines, qui miro modo septem pastoribus ita inseruntur, et ita iter sextum pastoris, qui est Mo-  
 ses et septimum, qui est David, surrexerunt: ut filios Israel, quos Moses sextus pastor (ut iam  
 dictum est) de Aegypto eduxit, primus hominum primatum Iosue cum Caleph introduceret in ter-  
 ram re promissionis, & liberatione de manu Philistinorum, quæ octavus primas Samson inceptit, præ-  
 ficeret septimus pastor David. ¶ Habemus igitur & septem pastores & octo primates homines  
 ex propriis causis notos & insignes, quos suscitabimus (inquit propheta) super eum, videlicet  
 super dictum iudicem Israel, cuius maxilla percussa est. Quomodo illos suscitabimus super  
 eum? Videlicet eo modo, ut quæ per illos corporaliter gesta sunt, doceamus spiritualiter fieri vel  
 impleri per ipsum. Doceamus (inquam) quia quarum rerum in illis præcessit figura, in isto successit  
 veritas. Hoc facientes suscitabimus illos super eum, nos propheta & sapientes, & scribæ, ex qui-  
 bus ego sum. Nam & si secundum tempus corpore absens, spiritu cum illis presentem sum, quorum spiritua-  
 li studio fit, ut in lectioe talium pastorum, & primatum nihil mortuum remaneat, aut ociosum, dum  
 omnia referuntur ad Christum. Itaque & isti cum illo uiuent, & illi qui tunc erunt ex istis proficiet.  
 Unde cum dixisset: Et suscitabimus super eum septem pastores, & octo primates homines, confe-  
 ssum subiunxit: Et percussit terram Assur in gladio, & terram Nemroth in lanceis eius. Quod est  
 dicere, & omnes gentes quæ nunc sine deo sunt, neque uerbi dei pabulum habent ullum, tunc ex mysticis  
 istorum exemplis, legendo proficiet, quarum uidelicet gentium Assur & Nemroth, id est, Assy-  
 rii & Babylonii maximi deorumque magis aduersi tunc erant. Principium namque regni Nemroth Ba-  
 bylon fuit in terra Sennaar, & de illa terra egressus est Assur, & edificauit Niniuen. Nec ue-  
 ro dubium uel incognitum est, quin Assyrii postmodum decem tribus transtulerint, Babylonii ue-  
 ro, pro quibus hic ponitur Nemroth, duas reliquas, Iudam & Beniamin. Magnifice ergo recõ-  
 ciliatio gentium promittitur, dum de illis, qui tunc erant infestissimi, talis propheta texitur, & pas-  
 cent terram Assur & terram Nemroth, & hoc non sine armis, sed in gladio & in lanceis eius, id  
 est, in sermone dei, qui est uiuus & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti. Et in senten-  
 tijs ueritatis, quæ sunt lanceæ siue sagittæ eius, suo gladio & illis lanceis diabolus, qui prius  
 terram obtinuerat, debellabit, & liberabit humanum genus. Hoc est quod ait, Et liberabit ab  
 Assur cum uenerit in terram nostram, & cum calcauerit in monte nostro. Ac si dicat Eodem tem-  
 pore quando ueniet in terram secundum præsentem prophetiam, & conculcabit Iudæos sub-  
 uersa ciuitate & templo, liberabit à diabolo gentes, quæ hactenus erant terra Assur, et terra  
 Nemroth, quod interpretatur tentatio, qui per hoc ipsum quod de illo scriptum est, erat robu-  
 stus uenator coram domino, significat diabolus, qui possidebat gentes tanquam fortis armatus cu-  
 stodiens atrium suum. Sequitur: Et erunt reliquie Jacob in medio populorum multo-  
 rum quasi ros à domino, & quasi stille super herbam, que non expectant uirum, &  
 non prestolantur filios hominum. ¶ Reliquie Jacob credentes ex Iudæis sunt, quo-  
 rum unus ex optimis Apostolus cum dixisset, Nunquid repulit deus populum suum? sub-  
 iunxit atque ait, Absit. Nam et ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Beniamin. Et  
 enim, licet illi, qui in futuro tempore credituri sunt, cum plenitudo gentium intrauerit, reliquie di-  
 cantur, Nihilominus tamet hi recte dicuntur reliquie, quæ tunc crediderunt pauci, multitudine  
 incredulitate permanente, testante eodem, cum præmissis exemplo de Helia, cui dixit responsum  
 diuinum, Reliqui mihi septem milia uirorum, qui non curauerunt genua ante Baal, sic ergo (inquit)  
 et in hoc tempore reliquie secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Ergo reliquie Jacob  
 erunt (inquit) in medio populorum multorum quasi ros à domino, et quasi stille super herbam  
 id est, apostoli Christi siue ministeriales iudicis eiusdem, de quo hactenus sermo fuit, sanctam  
 et diuinam de cælesti conuersatione sua sumptam, stillabunt uel depluent gentibus scientiam.  
 Ros enim suauiter cadens, et stille sensim decidetes super herbam, euangelicam uel apostolicam si-  
 gnificant doctrinam à domino datam, et pro capacitate audientium discrete annunciatam, et du-  
 pliciter ualentem nobis, scilicet ad refrigerandum et fructificandum. Terra quippe nostra car-  
 nalis uitiorum erat exusta, et à maligno spiritu quasi uento urente percussa, ita ut cor homi-  
 nis Baby

Samson.  
Ibi. 13.

Gene. 11.

4. Reg. 17.  
Ibid. 25.

Heb. 4.

Gene. 11.  
Lucæ. 11.

Ro. 11.

Reliquie Jaco-  
cob, Apostoli  
sunt  
ambunt



- Dani. 3. nis Babylonix fornaci non incongrue posset simile dici. Tunc aut cepit dñs mittere quod  
 uentū roris flantē, quando ad amorē cœlestiū nos excitauit per apostolorum prædicationem. Item manus nostræ uacantes ab operibus bonis, sic erant quasi herba macra & sterilis  
 sed tunc quasi stillæ à domino super herbâ ceciderūt, quando eadē doctrina nos ad dilecti  
 onē proximi reflorescere fecit, & in porrigēdo eleemosynâ facies nostras exhilarauit. Et be  
 ne de isto rore & de huiusmodi stillis ait: quia non expectant uirum, & non præstolantur  
 filios hominū, sed signanter cū dixisset, quasi ros, addidit, à domino, quia uidelicet Euange  
 liū siue doctrina, quæ per apostolos administrata est, non per instructionē uel magistrum  
 Act. 4. hominū uenit aliquādo, sed cœlitus data est, docente illos inuisibiliter spū sancto, absq; mo  
 ra & momento, ita ut qui fuerant homines sine literis & idiotæ, repente fierent literati per  
 ti, & potentes in omni sermone. ¶ Hoc idē de prophetis sentiendū est, & primū de Mo  
 ibid. 7. Nam ille quidē humanā scientiam per homines didicit, & erat (ut ait Stephanus protoma  
 tyr) eruditus omni sapientia Aegyptiorū, & potens in uerbis, sed scientiam rerū diuinarum  
 ut pentateuchū suū conscriberet, non per hominem, sed per solū deum didicit, qui illi in ru  
 bo apparuit. Sic & de Dauid cæterisq; prophetis, & de Christi apostolis omnino sentien  
 dū est, quos omnes & solos ecclesia Christi in canonico apice suscipit. Vnde & Petrus in  
 2. Pet. 1. epistola sua dicit: Hoc primū intelligentes, quod prophetica scriptura propria interpretati  
 one non fit. Non em̄ uoluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spū sancto inspi  
 Actu. 2. rati locuti sunt sancti dei homines. Et de cæteris quidē apostolis, q̄ fuerunt illic, ubi spiritus  
 sanctus in igneis linguis apparuit, seditq; supra singulos eorū, certū est, quia non ab homi  
 ne, neq; per hominem, sed per reuelationē Iesu Christi didicerunt, De Paulo aut, qui tunc  
 nō erat illic, sed postea uocatus est, dubiū uoluerunt esse quidā aduersarij eius pseudoapo  
 stoli, dū uellent corrūpere ueritatē euangeliij, quam ex ore eius multi suscipiebāt: populi ob  
 hoc derogantes illi, & autoritatē eius diminuere uolentes, quia domini nostri Iesu Chri  
 sti, dū adhuc cū hominibus conuersaretur, discipulus non fuit. Hac pro necessitate plerūq;  
 in locis apostolatū suum defendit, maxime aut in epistola ad Galatas cū dicit: Notū em̄  
 Gala. 1. bis facio euangeliū fratres, quod euangelizatū est à me, quia non est secūdum hominē, ne  
 q; em̄ ego ab homine accepi illud neq; didici, sed per reuelationē Iesu Christi. Bene ergo cū  
 dixisset de reliquijs Iacob, Et erunt in medio populorū quasi ros à domino, & quæ  
 si stillæ super herbâ, addidit, quæ non expectant uirum, & non præstolantur filios hominū.  
 Ac si dicat. Et erunt apostoli Iesu Christi sapientes, & eloquētes, totū salutarē doctrinam  
 habentes mundum, quam uidelicet doctrinam nō à magistris hominibus accipient, non stu  
 diū uel ingenij proprij labore acquirēt, sed occulta gratiæ cœlestis aspiratione percipient.  
 Reliqui do ¶ De reliquijs (inquā) Iacob, id est, de apostolis, ita dumtaxat æque ut de prophetis, qui  
 ctiores eccle carne & fide sunt filij Iacob, hoc dicere uerū est. Cæterū de alijs magistris ecclesiarum, qui  
 cunq; ex gentilitate surrexerunt, nō eadem sententia est uel esse potest, quia uidelicet Iacob  
 quidem & ipsi quasi ros à domino, & quasi stillæ super herbam, scripturas propheticas atq;  
 apostolicas tractādo dulciter, & exponendo utiliter, sed singuli horum ut hoc facere poss  
 sent, expectauerunt uirum, et præstolati sunt filios hominū, Multos em̄ post deum catib;  
 gethas uel magistros subierunt. Vnde quicquid dixerunt, non iccirco ratum habet eccle  
 sia Christi, quia sic ipsi dixerunt uel senserunt, sed quia dicta uel sensus suos prophetis atq;  
 apostolicis testimonijs, uel aliqua probabili ratione confirmare potuerunt. Sequitur. Et  
 erunt reliquijs Iacob in gentibus in medio populorum multorum, quasi leo in  
 mentis sylvarum, & quasi catulus leonis rugiens in gregibus pecorum, qui dum  
 transierit & conculcauerit & ceperit, nō est qui eruat. Quam diuersarum, quam long  
 dissimiliū rerū similitudines eisdē reliquijs Iacob hic ascriptæ sunt. Dixerat et erūt reliquijs  
 Iacob quasi ros à dño, et quasi stillæ super herbam, et cōtinuo nūc dicit, et erūt reliquijs  
 Diuersę simi catulus leonis rugiens in gregibus pecorum. Quod  
 licudines magis dissimile q̄ suauitas roris à feritate leonis. Quid magis diuersum, q̄ lenitas stillarū  
 stillantiū super herbâ, à sæuitia uel impetu catuli leonis rugientis in gregibus pecorū. At  
 tamen eisdē reliquijs Iacob, et suauitas roris, siue lenitas stillarū, et feritas leonis, siue impe  
 tus catuli leonis æque per similitudinem ascribitur hic. Quare. Videlicet, quia magis  
 pulcrit



IN MICHEAM PROPHE. CAP. V. Fō. CXLIII.

puloꝝ siue gentiū Apostoli Christi, & lenes & saueri sunt, lenes in docendo siue exhortādo, saueri in corripēdo & ulciscendo. Exēpli grā: Paulus ubi docet inter cætera sic loquitur. Quoniam quidē deus erat in Christo mundū reconcilians sibi, & posuit in nobis uerbū reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanq̄ deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, recōciliamini deo. Quid isto rore dilectionis suauius, qd hac stilla uere & germanæ pietatis lenius? Cætera quoq; usq; ad id, os nostrum patet ad uos o Corinthij cor nostrū dilatātū est, talia sunt stillicidia uel talis ros, ut nemo q dubitet quin sit à domino patre misericordiarum & totius cōsolationis deo. At uero idem post plurima dicit: Ecce tertio hoc uenio ad uos. In ore duorum uel trium testium, stabit omne uerbum. Prædixi enī & prædico ut presens uobis & nūc absens ijs qui ante peccauerūt & cæteris omnibus, quoniam si uenero iterum non parcam. An experimentum queritis eius, qui in me loquitur Christus? Ecce saueritas magistri tanquam leonis rugitus super iumenta syluarum & tanq̄ catuli leonis super gregem pecorum. ¶ Nam iumenta syluarū recte illos aestimamus, quos redarguebat super immunditia & fornicatione, & impudicitia quam gesserunt. Nōne super huiusmodi, quasi leo fuit? Ait enim: Et uos inflati estis, & nō magis luctum habuistis, ut tollatur de medio uestrum, qui hoc opus fecit, id est, qui uxore patris habuit. Ego quidem absens corpore, presens autē spiritu iam iudicauit ut presens eū, qui sic operatus est, in nomine domini nostri Iesu Christi, congregatis uobis & meo spiritu cum uirtute domini Iesu. ¶ Porro quasi greges pecorū eiusmodi fuerunt, qualibus ueluti conterritis ad rugitū catuli leonis gratulatur & dicit: Quoniā & si contristauit uos in epistola, nō me pœnitet. Et si ad horā uos cōtristauit, nūc gaudeo, nō q̄ cōtristati estis, sed q̄ cōtristati estis ad pœnitentiam, contristati enī estis secundū deum & cætera. Hæc uero quasi de austeriori Paulo exempla posuisse putemus, quasi cæteris Apostolis hūc amplius sauitiam leonis exercuisse dicamus. ¶ Nā ut plura sermo prætereat, nōne Petrus quoq; quasi leo siue catulus leonis in gregibus pecorū rugit, quādo in cōuentu discipulorū Ananiam primū, et deinde Saphiram uxorem eius increpauit, & illi ceciderunt & expirauerunt, quia spiritui sancto fuerant mentiti. Vere igitur quasi leo reliquæ Iacob, quasi catulus leonis, qui cū transierit, subauditur ad nullius pauens occursum, & conculcauerit uidelicet rebellantes, & cœperit subauditur mendaces, ut capti & deprehensi sunt iam dicti Ananias & Saphira, spiritui sancto mētiētes, nō est qui eruat. ¶ His dictis de reliquijs Iacob, protinus ad illā conuertit sermo propheticus iudicē Iſrahel, de quo supra dixerat, in uirga pcutient maxillā iudicis Iſrahel, & dicit: Exaltabitur manus tua super hostes tuos, & omnes inimici tui interibunt. Hostes publici siue inimici dñi illi maiestatis adiudicātur, qui nō solū peccatores, uerū etiā impij sunt odiendo nomen eius, quales maxime illi fuerūt, de quibus ipse in Euāgelio loquitur. Nūc autē & uiderunt & oderūt & me & patrē meū, Sed ut impleatur sermo, qui in lege eorū scriptus est, quia odio habuerūt me gratis. Super eiusmodi hostes exaltabitur, inquit, manus mea, subauditur, ut nō uideant gloriā tuā, imō ut uideant et cōfundantur, quēadmodum alius propheta, cum sub interrogatione dixisset, & nō uidebit impius gloriā domini, protinus duplicē responsonē hoc modo ipse reddidit. Domine exaltetur manus tua ut nō uideāt, uideant & cōfundantur zelantes populi, et ignis hostes tuos deuoret: Deniq; et per iustā imprecationē dixit: Dñe exaltetur manus tua, et nō uideant gloriā tuā, et subauditur, ita ut in gloria tua partē habeant ullā, et perseueram nimisq; acerbam cōcessionē, ait protinus, uideant et confundantur. Quodq; hic dicit, et omnes inimici tui interibūt, illic similiter cōceditur, ut fiat dicendo: et ignis hostes tuos deuoret. Nā ubi exaltabitur manus tua domine, quādo apparebis sedēs in sede maiestatis tuæ rex et iudex Iſrahel, statutus ouibus ad dexteram, hæc dīs autem ad sinistram tuam, tunc omnes inimici tui interibunt, diabolus uidelicet et angeli eius, tunc hostes tuos uidelicet tam diabolus et angelos eius, q̄ et homines impios sequaces eius, ignis deuorabit te dicente: Ite maledicti in ignē æternū, q̄ preparatus est diabolo et angelis eius. ¶ Hoc nihilominus ad ecclesiam uniuersam referri potest, cuius caput est ille iudex: exaltabitur manus tua super hostes tuos, et oēs inimici tui interibunt, quia uidelicet qui capitis, id est, hostes uel inimici sunt corporis, quod est ecclesia eius et

Apostoli lenes & saueri. 2. Cor. 5.

Ibi. 6.

Ibid. 13.

Quasi iumenta syluarum. 1. Cor. 5.

Quasi greges pecorum. 2. Cor. 7.

Petrus ut leo Act. 5.

Iohan. 15.

Esa. 26.

Matt. 25.

Hostes ecclesie Christi quod hostes sunt.



eius. & ubi caput, ibi nimirum exaltabitur & corpus. Recte ergo & ad ipsam dictum hoc recte intelligitur, praesertim quia & supra illi dicebatur: Surge & tritura filia Syon &c. & hic primum eius dicitur. **L. Et erit in die illa dicit dominus, auferam equos tuos de medio tui, & dispergam quadrigas tuas, & perdam ciuitates terrae tuae, & destrua omnes munitiones, & auferam maleficia de manu tua, & diuinationes non erunt in te. Et perire faciam sculptilia tua, & statuas de medio tui, & contera ciuitates tuas, & faciam in furore & indignatione vltione in omnibus gentibus, quae non audierunt.** Magnifice in uerbis istis cõsoletur se ecclesia dei, cõsiderando uitae aeternae statum, qualis futurus sit ex die illa, qua oēs sui interibunt inimici. Siquidem hoc promittitur in his uerbis, quod non solum mala omnia, uerũetiam ipsa quoque, quae in hoc seculo uidentur, & sunt quaedam bona, quauis non uera uel sufficientia, penitus non erunt illis. Quis enim nescit maleficia, diuinationes, sculptilia, & statuas atque adorationes manuum operum, & lucos ad sacrificandum daemonijs electos siue sacros, quae esse mala? Quis ite neget equos, quadrigas, ciuitates, atque munitiones, falsa esse bona? Fallax equus ad salutem, ait Psalmista, & hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine domini dei nostri inuocabimus. Possunt quidem prodesse equi & quadrigae, imò & necessaria sunt ad liberationem tardis & infirmis corporibus, uel etiam sanctis ad fugiendum de ciuitate in ciuitate, si urgente persecutore fugiendum est citius; sed eiusmodi usus, non tam uerum bonum, quam uerum meritatis est solatiũ, saepe nimirum habes fallax experimẽtum, quia (sicut iam dictum est) fallax equus ad salutem, ad quod succinere possis, sed non fallax ad fatigationem. O quantum melius est grauiam, nunc sunt, corpora immutari, et uelocitate angelorum perfrui, quam grauedine corporis uel quadrigis uectitando fallaciter cõsolari. Igitur magnae beatitudinis est promissio in uerbis istis dum dicit, & erit in die illa, dicit dominus, auferam equos tuos de medio tui, & dispergam quadrigas tuas &c. Praemisera enim, & oēs inimici tui interibunt. Ergo idẽ est ac si dicat: In die illa facia illud, pro quo nunc clamas ad me dicens, de necessitatibus meis erue me. Primum est quod equos tuos auferam, & quadrigas tuas dispergam, id est, quod terreni corporis tantam uelocitatem efficiam, ut sit quocumque uelit, quod fieri non posset cum equis & quadrigis. Tunc enim homines & quales erunt angelis, ait ipse dominus, & filij sunt dei, cum sint filij resurrectionis. Quae si aequales, nimirum & aequae ueloces, aequae ut angeli erunt, equis & quadrigis non indigentes. **¶** Quid porro de ciuitatibus & munitionibus dicat, cum dicit: & perdam ciuitates terrae tuae, & destrua omnes munitiones? Notum est quia Cain fratrem suum Abel per inuidiam occidit, & hic primus aedificauit ciuitatem, uocauitque eam ex nomine filij sui Enoch. Porro & Abel & ceteri sancti oēs hic manentem ciuitatem non habent, sed futuram inquirunt. Perdam igitur (ait) ciuitates terrae tuae, & destrua omnes munitiones, non solum spirituales, uerũetiam manufactas & materiales, sine dubio subime intelligendum, & oēs ciuitatum atque munitionum seditiones atque cupiditates, & uniuersas, quas in seculo mortalibus intulit clades, & malas sollicitudines, quarum uniuersitas dicitur, & est Babylon, cum qua, ut audimus in Apocalypsi uocẽ de caelo dicentem, fornicati sunt reges terrae, & in delictis uixerunt. Et de qua ibidem ita scriptum est: Et sustulit unus angelus fortis lapidem molatorem magnum, & misit in mare dicens: Hoc impetu mittetur Babylon magna ciuitas illa, & cetera non inuenietur. Magna igitur requies sanctae Syon, id est, ecclesiae in perditione ciuitatum, uel munitionum terrae promittitur, quia uidelicet cum perditione illarum, perditio quoque cõsequenter subintelligitur, rerum omnium concupiscibilem, quae in ciuitatibus sunt (quae ex intuitu sancti ciues regni dei peregrinantes in hoc mundo, tentati & fatigati sunt) uidelicet et auri & argenti, lapidis preciosi, & margaritae, & byssi, & purpurae, & serici, & marmoris, & cynamomi, & amomi, & odoramentorum, et unguentum, et thuris, et uini, et olei, et similia, et tritici, et iumentorum, et ouium, et equorum, et redarum, et mancipiorum, et ceterorum omnium, de quibus recte Sapiens dicit: Vanitas uanitatũ et oia uanitas, qualium cupidi mercatores, nunc diuites facti, pauperibus in solant filijs tuis o sancta Syon. Sed tunc illis flentibus atque lugentibus et dicentibus, Vae uobis qui exultabunt et libenter uidebunt, pariter perire suas quoque munitiones, et quas hic pro necessitate habuerunt, non ut alios impugnarent, sed ut impugnantibus alijs aliquod refrigerium haberent. **¶** Et auferam (inquit) maleficia de manu tua. Et hic subintelligendum est, ut amplius maleficia quae non facias. Impossibile namque erit ex die illa, ut sancta electorum societas mali quicquam facere admittat, et erit firma et incorruptibilis innocetia. Neque enim erit ultra serpenti antius facere

Qualia bona equi & quadrigae.

Psal. 37. Psal. 119.

Psal. 24.

Lucæ. 20.

Requies Sion in perditione ciuitatum terrae.

Ge. 4.

Heb. 13.

Apoca. 17.

Ibi. 13.

Ecd. 1.



IN MICHEAM PROPHE. CA. V. Fo. CXLV.

sue licentia ut sibi let quicquam, uel mali aliquid alicui sanctorum suadeat, sicut fecit quando mulieri suasi, ut uetium comederet, & uiro suo porrigeret quo maleficio totum exinde genus humanum uenenatum est. Vt breuiter dicam, sic auferet Dominus de manu electorum suorum maleficia, ut quibus dedit nunc malefacere nolle, tunc det, quod amplius & perfectius est, scilicet, malefacere non posse. ¶ Et diuinationes non erunt in te. Diuinationo prophetia mendax est. Hæc sine dubio feliciter tunc deerit, quando præsentia uel plena cognitio Dei præsensq; facies ueritatis cunctos illustrabit, & nihil incertum uel incognitum sit. Hanc perfectionem in hac uita sancti non ualent consequi: sed ex parte (inquiunt) cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem uenerit quod perfectum est, euacuabitur quod scimus, & ex parte est. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. ¶ Et perire faciam sculptilia tua, & statuas de medio tui, & non adorabis ultra opera manuum tuarum. Hoc etiam ante diem illam prouidendum est, ut opera manuum suarum, scilicet, sculptilia & statuas adoret, quæcunque anima Deum uerum colit, uel nomen eius inuocat: uerumtamen magna pars populi Dei, populi electi unum Deum colentis, perfectionem huius rei non attingit, dum corpore uiuit. Nam & si manus exterius uacat, ut uisibilem sibi statuum non faciat, nonne animus celerrimus artifex formam sibi aliquam persæpe fingit, dum recordatur creatoris sui, & eum contemplari cupit, cui dicit in oratione: Pater noster qui es in caelis. Velociter namque sibi proponit, aut uelociter sibi occurrentem delectabiliter excipit, quasi aliquem uenerabilis formæ senem speciosum & magnum, magno consilio residentem, & fortassis ita putat esse in re, sicut legit uel audit, in illa Danielis uisione. Quia throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, uestimentum eius quasi nix candidum, & capilli eius quasi lana munda, & cætera quæ quasi localem loquuntur Deum, cum ipse localis non sit. Equidem sic simpliciter errare ueniale est: sed errorem eundem pertinaciter defendere damnum, quia hæreticum est. Vnde & Humaniformij dicuntur hæretici, qui Deum formam humanam membrisq; distinctum asserere conati sunt. Quod igitur nunc dicit, & perire faciam sculptilia tua, & statuas de medio tui, & non adorabis ultra opera manuum tuarum, sic in illa die perfici credendum est, ut circa diuinam substantiam nemo taliter erret, uidentibus cunctis qualis sit. Vnde Iohannes: Scimus (inquit) quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia uidebimus eum sicuti est. ¶ Quod deinde sequitur: Et euellam lucos tuos de medio tui, & conteram ciuitates tuas, itidem in die illa perfecte implebitur, quod nunc ex parte impletum est uel implendum est. Non enim iam in hoc perfectio est quod uerum colentes Deum, non lucos frequentant, nec latebras uel tenebras querunt ad sacrificandum principibus tenebrarum, neque ciuitates suas claudunt, id est, conscientias non occultant, sed oportune peccata sua confitendo aperiuunt, non (inquam) perfectio iam in hoc, sed inchoatio beatitudinis est: quia multa sunt adhuc non solum male erubescenda: uerum etiam bona ueneranda quæ abscondunt, & abscondere uolunt in his quæ reprehensibilia sunt, metuentes uerumtamen, in his quæ laudabilia sunt, fugientes inanem gloriam. At uero tunc nihil erit, quod uelint esse occultum, neque inuitis illis fiet illud quod Apostolus ait, quia ueniet Dominus & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Nam de malis ubi certa remissio erit, non habebunt cur erubescant, imò multum habebunt quod gaudeant, scilicet, magnam, & sine fine magnificandam remissionis gratiam & gloriam. Porro de bonis ut abscondant illa nequaquam inanem opus erit fugere gloriam: quia talis uentus illic flare non poterit, ubi uera & stabilis gloria Dei super omnes abundans cuncta superabit, uniuersosq; & angelorum & hominum ordines in fundamento suæ uisionis cum dulci tremore continebit. Igitur & lucorum euulsio, & ciuitatum contritio tunc ad plenum perfecta erit: quia nullus erit, qui occulte quicquam gerere, uel conscientiam suam ne uideatur aliquo modo circumseptam esse uelit. Tunc econtra ibunt impij in supplicium & in obprobrium sempiternum, & hoc est, quod hic in calce sermonis enuntians: & faciam (inquit) in furore & in indignatione ultionem in omnibus gentibus quæ non audierunt.

Gene. 3.

Diuinationo prophetia mendax

i. Cor. 13.

Imaginatio simplicius de deo.

Dani. 7.

i. Ioh. 3.

i. Corint. 4.

LIBRI SECUNDI IN MICHEAM FINIS.

b

Rupertii